

8.11.1 [8.10.14]

*Idem A.. Iohanni pp.*

De operis novi nuntiatione quandam antiquis ortam fuisse dubitationem nostra cognovit tranquillitas, dicentibus, si quis denuntiationem ad inhibendum opus miserit, non posse eum post annum elapsam, ex quo denuntiatio missa est, iterum aedificationem prohibere.

1 ¶ Quod dupliciter iniquum nobis esse videtur, sive etenim non recte opus prohibuerit, decet non per totum annum hoc impediri, sive recte denuntiationem emiseric, etiam post annum licentiam habere aedificationem prohibere.

2 ¶ Talem igitur iniquitatem inhibentes sancimus, si quis denuntiationem emiseric, in hac quidem regia urbe praefectum urbi festinare, in provincia vero rectorem eius, intra trium mensum spatium causam dirimere: sin vero aliquid fuerit quocumque modo ad decisionem ambiguitatis impedimentum, licentiam habere eum, qui aedificationem deproperat, opus de quo agitur efficere, prius fideiussore ab eo dato officio urbicariae praefecturae vel provinciali, ut, si non recte aedificaverit, omne opus, quod post denuntiationem fecerit, suis sumptibus destruet. Sic enim et opera non per inanes denuntiationes prohibebuntur et recte denuntiantibus consuletur.

*D. XII k. Nov. Constantinopoli post consulatum Lampadii et Orestis vv. cc. anno secundo.*

*[a. 532]*